Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8322
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

reuertimini ad me, et ego reuertar ad uos, da nobis ita tibi reconciliari, ut tibi nostra supplicatio placeat et ad aures tuas deuote perueniat, et ut per intercessionem omnium sanctorum liberationem huius famulæ. N. obtineamus, qui dixisti apostolis tuis, pacem meam do uobis, pacem relinquens uobis: relinque et huic famulæ tuæ. N. cœlestis benedictionis gratiam, ut libera à dæmonibus tibi seruiat, et deuota consistat, per eum qui uenturus est. etc.

Hic canitur Sequentia, ut sequitur.

Sancti spiritus assit nobis gratia.
Quæ corda nostra sibi faciat habitaculum.
Expulsis inde cunctis uicijs spiritalibus.
Spiritus alme illustrator hominum.
Horridas nostræ mentis purga tenebras.
Amator sanctæ sensatorum semper cogitatuum.
Infunde unctionem tuam clemens nostris sensibus.
Tu purificator omnium flagitiorum spiritus.
Purifica nostri oculum interioris hominis.
Vt uideri supremus genitor possit à nobis.
Mundi cordis quem soli cernere possunt oculi.